

in quolibet termino donec erit explectus, etiam pena decem libr. par. pro quolibet avvocato et vice qualibet contrafacta.

¶ Ex quibus sex advocatoribus dominus potestas vel vicarius loco potestatis // tempore ipsius sindicatus primo accipere possit et valeat duos advocatores, sed unum pro avvocatore et alterum pro ¹⁾ procuratore, et non ultra, sub pena quinquaginta libr. par. pro potestate vel vicario loco potestatis, et reliqui quatuor advocatores esse debeant advocati cuiuslibet eos petentis advocatos in dicto sindicatu cuntra ipsum domin(i)um potestatem vel vicarium loco potestatis eiusque familiam, ²⁾ nec renunciare possit, etiam pena decem libr. par. pro quolibet avvocato et vice qualibet contrafacta. ¶ Salvo quod si aliquis ex supradictis sex advocatoribus fuisset advocatus alicuius persone se conquerentis de domino potestate vel vicario loco potestatis eiusque familia, de ea questione de qua fuisset advocatus seu procurator, tunc ipsum pro avvocato vel procuratore habere non possit dictus dominus potestas vel vicarius loco potestatis; immo talis advocatus constringatur per dominum potestatem et syndicos comunis ad advocandum pro illa persona conquerente se de predictis vel aliquo ipsorum, et talis advocatus nullo modo renunciare possit facere dictam advocacionem, ³⁾ etiam pena vigintiquinque ³⁾ libr. par., et nichilominus ipsam advocacionem facere teneatur. ³⁾ ¶ Et recipere pro eorum labore de hiis in quibus fuerint advocati a decem denariis superius usque ad quadraginta denarios unum denarium, et a quadraginta denariis superius usque ad mediam marcham duos denarios, et a media marcha superius usque ad unam marcham quatuor denarios, et ab inde superius pro qualibet marcha unum denarium; et de clamore forcie quatuor denarios. ¶ Et quicumque ipsorum advocatorum contrafaceret de dicta solutione sibi fienda, cadat ad pena[m] viginti sold. par. // et nichilominus restituant superfluum. ¶ Et predicta omnia attendere et observare iurabunt.

¹⁾ per.²⁾ am è aggiunto in margine.³⁾ Aggiunta marginale.